

351

PAVLLI MAN-
NVTII COMMENTA-
RIVS IN LIBRVM VNDE-
CIMVM EPISTOLARVM CI-
ceronis ad Atti-
cum.

IN EPISTOLAM I.



CCEPI] hanc epistolam scripsit, cum, ex Italia profectus, ad Pompeium iam peruenisset. scripsit autem Romam. *Libellum,*] libelli neque complicantur, vt epistolæ; neque scribuntur: siquidem in his inscriptio illa, qua amicis salutē dicimus, omittitur. Libellum explano, scriptum, nō

epistolam, eo sensu, quo in fam. in epist. D. Bruti: Vt ex libellis eius animaduerti, qui in me inciderunt. Alibi libellus aliud significat: sed, quoniam hæc ex promulgatis eorum libris, qui dictionū significationes collegerunt, cuius licet perere; quæ huius loci non sunt, consulto prætermittam. *Qui eas dispensavit,*] Philotimus libertus: cui rerū suarum curam cum Cicero commisisset, deinde eum id fecisse pænituit; vt etiā paulo post his verbis significat, Credens ei, cui tu scis iam pridem minime credere. *Existimationis,*] vt ijs satisfiat, quibus debeo. nam ob hanc causam de existimatione Ciceronis agebatur. Cæsar initio lib. 3. de bello ciu. Ad debitorum tuendā existimationem, dixit. *Pericula,*] partim quæ iam sunt, vt in bello; partim quæ dubio rerū exitu impendent. *Cistophoro]* nummi genus Asiatici. hanc pecuniā Cicero, ex administratione Ciliciæ collectā, apud publicanos reliquit: deinde, quod ibi minus tuto fore videbatur, dimidiam fere partem exegit, & ad Egnatium argentarium transtulit. *H-S bis & vicies.]*